



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. lviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

De eadem re. Cap. LVI.

**S**I quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestes, vel pecus propter famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres: si reddiderit, non cogatur ieiunare.

Ex pœnitentiâ  
Theodo-  
ri.

De eadem re. Cap. LVII.

**N**AM si quis publicam rapinam, seu furtum fecerit, publicam inde agat pœnitentiam, iuxta sanctorum canonum sanctiones. Si verò occultè, sacerdotum consilio pœniteat: quoniã raptores, vt Apostolus ait, nisi inde veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, grauius iudicetur: quia quauis vltio furum, & raptorum, ad comites respiciat, pœnitentia tamen ad episcopos pertinet.

Ex cœcil.  
Aurelia.  
cap. 8.

De eadem re. Cap. LVIII.

**S**I quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia tulerit, vel casas effregerit, septem annos pœniteat: & quod furatum est, reddat. Si quis verò de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & annum vnum pœniteat, vel si quis sepulchrū violauerit, VII. annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua.

Ex pœnitentiâ  
Theodo-  
ri.

De eadem re. Cap. LIX.

**F**Vres & latrones, si in furando & prædâdo occiduntur, visum est pro eis non orandum. Si cōprehensi, aut vulnerati, presbytero, vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

Ex cœcil.  
Triburi.  
cap. 5.

De eadem re. Cap. LX.

**S**I fur aut latro captus in præda, absque occasione potest apprehendi, & tamen interficitur: quia ad imaginem Dei creati, & in nomine eius baptizati sunt, interfectores eorum XL. diebus non intrent Ecclesiam: lanea veste induti, ab escis & potibus, qui interdicti sunt à thoro, à gladio, & equitatu se abstineant. In III. V. feria, & sabbato, aliquo genere leguminum, vel holerum, & pomis, par uisq; pisciculis cum mediocri ceruisia vicissim vtantur & temperatè. Sin autem à veridicis comprobatur testibus, quod sine odii meditatione se, suaque liberando diaboli mem-

Ex cœcil.  
Aurelia.  
cap. 1.